

Rome, 18 janvier 1601.

/ Clarissime Domine. Quod gratia Spiritus sancti cor tuum potenti  
 sua virtute ad veram lucem aspiciendam, et amandam converterit; et  
 laetor ex animo, et gratias ipsi Patri lumen, quantas possum, ago.  
 Quod vero ad hoc efficiendum scriptis meis providentia divina uti  
 5 voluerit, exulto, mihi crede, pro fructu; sed inani non efferor glo-  
 ria. Satis enim imperfectum meum novi: neque ignoro virtutem Dei,  
 ut Apostolus ait, in infirmitate perfici, id est tanto illustrius  
 Dei potentiam enitescere, quanto per instrumenta infirmiora opera-  
 tur. Magnum Dei donum est agnitus verae Ecclesiae, in qua sola re-  
 10 conciliantur homines Deo, et spem solidam concipiunt adipiscendae  
 salutis aeternae: haec videlicet est illa pretiosissima margarita,  
 quam qui invenit, venditis omnibus comparare studet. Neque metuen-  
 dum est, ne si propter fidem patrimonium amittamus, fame nobis, et  
 frigore pereundum sit, cum Dominus dicat: Quaerite primum regnum  
 15 Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis. Sed etiamsi  
 rapinam bonorum nostrorum, ut Apostoli verbis utar, sine spe talia  
 rursus acquirendi, pati nos oportet; non ideo minore ardore animi  
 in verae fidei professionem, et praedicationem incumbere deberemus:  
 non enim sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram glori-  
 20 am, quae revelabitur in nobis. Pontifex Maximus optimam voluntatem  
 erga te gerit, et brevi dabit operam, ut res necessariae tibi et  
 tuis ad vitam honeste transigendam non desint. Sed si forte diutius  
 res differretur, quam par esset, ob distantiam regionum, et plurima  
 negocia, quibus optimus Pontifex quotidie pene obseruitur; velim ad  
 25 mentem revokes, quod Moses populo in angustiis posito dicebat: Ten-  
 tant vos Dominus Deus vester, ut sciat, an diligatis eum. Ego pro mea  
 virili non deero, tum precibus apud Deum, ut opus bonum, quod in te  
 coepit, ipse perficiat, tum apud homines, ut temporalia subministren-  
 tis, quos à Patre colesti ad regnum aeternum vocari vident. Vale  
 30 clarissime vir, confortare in Domino, viriliter age, omnem solicitu-  
 dinem tuam in Deum projicite, quoniam ipsi est cura de nobis. Romae,

FB.57  
Parvula: f. 106